



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Tractatvs Primvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)



R. P. F. IOANNIS DE CARTHAGENA
Ord. Minorum de obseruantia.

DE SACRA ANTIQVITATE
ORDINIS GLORIOSISSIMÆ DEI
GENITRICIS SEMPER VIRGINIS MARIÆ
de monte Carmelo,

Sive

Fratrum B. MARIÆ Virginis

Tractatus Primus.

Qui est de origine, & Laudibus eiusdem Ordinis.

CAPVT I.

I S. ELIAM Prophetam huius sacra Religionis primum
fuisse Institutorem, aliorumq; deinceps
Ordinum iecisse funda-
menta.

QVemadmodum in scientijs edocendis, pri-
ma earum principia non probantur, sed
supponuntur, tanquam lumine naturæ per
se nota; ita Prophetam ELIAM primum sacrae huius
Carmelitanæ Religionis Institutorem fuisse (DEI-
PARA Virgine specialiter ad eius conseruationem
postea cooperante,) primaque eius fundamenta
instar peritissimi architecti iecisse, probatione non
indigebat, cum id tanquam rem notissimam Sancti
Patres testentur, Summi Pontifices ei subscribant,
ac diuersarum traditionum monumenta confir-
ment; solum superciliosi negent, inuidi inficien-
tur, historiarum ignari discrepant: & si qui viri per-
docti,

Q 4

docti,

docti, ac sapientes inficias ierunt, argumentum hoc non ex professo, sed per transennam, & obiter attrigerunt: quorum excellenti doctrinæ, nihil detrahere nos arbitramur, si in hac parte eorum opinionem refragemur. Vt tamen deinceps in hoc genere argumenti, nulla supersit ratio dubitandi, grauiissimis testimonijs id nunc constabiliam, & latius in sequentibus.

Paleonyd. Ioannes Paleonydorus putat, *Eliam* non solum
lib. 1. c. 3. dedisse primordia Carmelit. Relig. sed totius san-
de orig. & citatis, & religiosæ disciplinæ, qua omnes Ecclesiæ
progres. Catholicæ monastici Ordines claruerunt, & clare-
Ord. Car- bunt, indubitatum Magistrum extitisse: verba
melit. Paleonyd. hæc sunt: *Quicquid virtutis, & perfe-*
S. Elias ctionis est in quouis monastico Ordine, à Beatissimo
Propheta Propheta, & Patre ELIA, tanquam à primordiali
non so- Eremitarum, Monachorum, atque vniuersorum Re-
lum Ord. ligiosorum Institutore, velut à fontali principio
Carm. sed exemplariter emanauit. Idem sentiunt, præter alios
omnis etiã Ioannes Trithemius libro primo de ortu & progressu
perfectio- Ordinis Carmelitarum cap. 3. Ioan. Bapt. Mantua-
nis mona- nus lib. 3. Parthenic. Marian. & Ioannes XLIV. Pa-
stica au- triarcha Hierosolymitanus, qui in sua Institutione
tor est. primorum Monachorum in lege veteri exortorum, &
 in noua persenerantium, cap. 16. Paleonydori ten-
 tentiam longè ante docuerat his verbis: *Quicquid*
perfectio- perfectionis est, in hac vestra Religione Eremitica
 (Carmelitas alloquitur) à Propheta Dei Elia, tan-
 quam à primordiali, & Principe Monachorum au-
 thore, exemplariter emanauit: & primo quidem in Fi-
 lios Prophetarum eius discipulos, deinde ab illis in
 ceteros nostræ Religionis professores, et tam in mona-
 stica eorum conuersatione, quam in locorum habita-
 tione, succedentes: & demum ab his in reliquos alibi
 degentes. Sed & omnium Monachorum conuersatio
 sancta, ab Elia, & dictis eius discipulis, Filijs Prophe-
 tarum, est deriuata: quamuis etiam in diuersis mundi
 partibus, post Eliam, surrexerint in lege noua diuer-
 Mona-

Monachorum Principes, qui conati sunt, secundum diuersa statuta, siue instituta specialia, suos discipulos principaliter perducere ad illum finem, & per illos gradus, per quos Elias ad finem, & perfectionem vite monastica, secundum formam per Deum ei traditam, suos discipulos perduxit. Propter quod praedicti Monachorum principes, in sana doctrina vite monastica fuerunt velut quidam particulares riuuli ab Elia, tanquam à primordiali, & vniuersali omnium riuulorum fonte deriuati. Haecenus ille. Etenim virtus, quam alij imitantur, ijs, qui eius auctores fuerunt, procul dubio magna ex parte attribui debet; ad eum certe modum, quo Ierosolymitano templo accidit, quod quamuis varias iacturas perpeffum fuerit, atque à diuersis instauratum, nihilominus Salomonis templum. vtpote primum fundatoris illius semper est appellatum.

O quantum SS. Patribus Religionum institutoribus, qui virtutum in illis obseruandarum fundamenta posuere, Ecclesia Dei debet; quantum *Quibus* Beatiss. Dominico, à cuius filijs, praesertim *praesertim* D. Thoma *sanctis,* sincerae, & Catholicae doctrinae lacte Ecclesia Dei *Ecclesia* alitur, & nutritur: quantum Seraphico Diuo *Dei mul-* *tū debeat.* Francisco, cuius nullum aliud noscitur esse institutum, quam Euangelium Christi ad vnguem obseruare, & Christo crucifixo commori: quantum D. Augustino haereticorum malleo, qui eam regulam, modumque viuendi instituit, qui non vni, sed multis Religionibus sub eius vexillo militantibus, religiosa disciplinae normam praebet. Quid glorioso Monachorum Patri Beato *Benedicto*, e cuius Religione, velut ex perenni virtutum fonte, innumeri sancti, ac sacri Pontifices emanarunt, veluti lucidissima Ecclesiae faces? Quid *Basilio* dignum retribuetur, quem iure optimo, *Magni* honorifico titulo cohonestamus, cuius pietas, ac doctrina tantae probitatis regulam condidit. Igitur si ijs Sanctis Patribus tantum debetur, quid Sanctis viris huius *Q 5* sacrae

sacrae Religionis fundatoribus deberi iudicabimus; cum non solum bonorum operum fructus, quos sacra haec Religio edidit, sed omnes etiam spirituales fructus, quos uniuersae Religiones hucusque pepererunt, merito illis, tanquam fontalibus primordijs, adscribi debeant.

Quod ne meo Marte affirmare videar, *Eliam*, & *Elisium* religiosae vitae principia dedisse grauissimi Auctores contestantur. Nam Sancti Patres *Elias*, & *Elisus* non tantum huius Ordinis, verum (audeo dicere) etiam omnium Fundatores fuerunt. Certe iuxta iuris regulas in cap. *qui uere*

D. Antonin.

refertur à Diuo Antonino 3. parte suae summae titulo 16. cap. 1. §. 4. duo Monachorum ab Ecclesia approbata genera memorantur; quorum alterum *Cænobitarum* appellatur, eo quod in Cænobijs, seu Monasterijs Regulæ, ac Prælato subiecti uiuerent, de quibus Diuus Antoninus ait: *Ij sub Elia sumpserunt initium: qui constituit Cuneum Proprietarum, id est, Religiosorum, secundum gl. ff.* Alterum vero *Anachoretarum*, seu *Contemplantium* nuncupatur, qui vitam Eremiticam ducunt, quos describens idem S. Antoninus, ait: *Isti ab ELIA exordium habent, eius imitator est Ioannes Baptista erat.* Cum ergo omnes Ecclesiae Dei Ordines sint huiusmodi, uelut riuuli sunt, ab Eliae uirtutum omnium fonte, emanantes; cui, sicut & Abrahæ illud sacrae Scripturae cognomen mirifice quadrat: *Pater cunctarum*

Genes. 17. *gentium*: Et illud ex Diuo Paulo Apostolo *Pater Ad Rō. 4. omnium credentium.* Meritò veteres Doctores sanctum patrem ELIAM appellarunt *totius uitae monasticae Patrem, uniuersorum Ordinum Exordium, omnis Religionis vexilliferum, ac Cænobitica disciplinae Antesignanum.*

NOTA.

Non inuenta a me loquor, sed quæ docuit me D. Hieronym. in uita, quam scripsit S. Pauli primi Eremitæ, quæ habetur in suorum operum tomo 1.

D. Hierō. fol. 106. in cuius exordio, sic ait: *Inter multos sepe*

amb-

dubitatum est, à quo potissimum Monachorum eremus habitari coepta sit: quidam enim hoc altius repetentes, à B. Elia, & Ioanne principium sumpsisse autumant. Et in Epist. ad Paulinum: Habet, inquit, unumquodq; propositum Principes suos. Romani Duces imitentur Camillos Fabricios &c. Et ut ad nostra veniamus, Episcopi & Presbyteri habeant ad exemplum Apostolos, &c. Nos autem habeamus propositi nostri Principes Paulos Antonios, Hilariones, Macharios: & ut ad auctoritatem Scripturarum redeam, noster Princeps est Elias, Propositus noster Eliseus, nostri Duces Filij Prophetarum &c. Et Bernardus Abbas Cassinensis in expositione primi capitis Regulae S. Benedicti, ait: Attende bene quod in Veteri Testamento Elias, & Eliseus, in nouo vero Testamento Ioannes Baptista, postea tandem tempore Apostolorum, Paulus, & Antonius, horum Monachorum inuentores extiterunt. Macarius quoq; vetustissimus author in quodam sermone ad Monachos, hæc habet; Dupes viros magnificos exordium monastici Ordinis protulisse credimus; quorum vnus, igneis equis in caelum, raptus legitur, alter vero prophetaesse, antequam natus sit. Primus ELIAS pater noster extitit, in quo sicut honoris Dei ignitus zelus adeo ardebat, ut vndequaque molestia afficeretur: ita ille idem ignis, Deo sic disponente, eundem corpore, & animo in Paradisum sustulit: nam illum, qui in terris positus vitam angelicam duxerat, inter nos remanere Deus non est passus. Alter Ioannes Baptista fuit cui (ut D. Augustinus narrat) rationis usus acceleratus fuit, & cum sex menses à conceptione sua profuxissent, in ventre materno delitescens, prophetauit. S. Macario consentit Auctor Historiæ tripartitæ capite vndecimo aiens: Huius Monastica antiquissima professionis Princeps in veteri fuit Elias, in nouo autem Testamento Ioannes Baptista.

Machar.

D. Aug.

CAPVT II.

In B. ELIÆ primo Instituto fuisse tria Religiosorum
Ordinum vota Substantialia, Obedientiam,
Castitatem, & Paupertatem.

NOlo quamuis facultas mihi suppetat, ser-
monem protrahere in antiquorum Docto-
rum varijs monumentis referendis, qui
omnes vno ore testantur, Sanctissimum Patrem
Eliam totius vitæ religiosæ ducem, ac celebrem
auctorem esse: paucis tamen veritas hæc patebit, si
essentialia Religionum vota, obedientiam, casti-
tatem, & paupertatem esse, in mentem reuocau-
rimus. De obedientia Elia, ait Ioannes Hierosoly-
morum Episcopus: *Elias semetipsum prorsus abne-
gans, & voluntati propria abrenuntians, semper su-
perioris (id est Dei) voluntatem prorsus sequutus
fuit; quemadmodum de eo scriptum est: Abijt quo-
cunque eum ferebat voluntas scilicet, Dei. Sequi-
tur & fecit iuxta verbum Domini, quia &c.* Ipse
Elisæum obedientiam docuit: nam vocem eius au-
diens, aratro, bobus, paternaque domo relictis,
præceptorem sequutus est.

Joan. 44.
Pat. Hier.
c. 9.

D. Isidor.
lib. 2. de
offic. c. 15.

Paupertatem eius prætereo, cum sacra eloquia
testentur, a facie Iezabel peregrinatum fuisse, quo-
ulque obtinuit, vt cælitus cibus sibi ministraretur:
vnde D. Isidorus dixit. *Vnde ad Monachos studium
fluxerit paupertatis, vel quis huius conuersationi
extitit auctor, cuius isti habitum imitantur, quan-
tum pertinet ad auctoritatem veterum Scriptura-
rum, huius propositi princeps est Elias, & discipuli
eius, qui habitabant in solitudine, & faciebant sibi
domunculas, iuxta fluentia Iordanis.* Elisæus etiam
ab eo edoctus, & in paupertatis doctrina benè in-
structus, ita virtutem hanc paupertatis coluit, vt
famulum suum Giezi, diuitiarum Naaman leprosi
cupiditate possessum, propter proprietatis culpam
lepra miraculosè punierit.

Quid

Quid tandem dicam de castitate, & virginitate
 Eliæ. Certè in eius præmium, vt habetur 3. Reg. 18. 3. Reg. 18.
 in montis Carmeli fastigio, magnus pater Elias S. Elia in
 septies orans, oratione septima absoluta, nubem monte
 quandam exiguam intuitus est, quasi vestigium ho- Carmelo
 minis, in qua nube sibi a Domino ostensa fuit Bea- reuelatur
 tissima Virgo, quæ septima ætate approximante mysteriè
 nascitura erat in mundo, ac incorrupta, & inuola- incarna-
 ta perseuerans, Saluatorem mundi paritura erat. tionis.
 Accedit Ioannes XLIV. Ierosolymorum Episco-
 pus, in libro de *Monachorum institutione*, quem
 B. Caprasio montis Carmeli Prioris scripsit, vbi in
 hunc modum loquitur: *Congregauit Elias filios Pro-* Ioan. 44.
phetarum terra Sancta diuersorum Conuentuum, & Ierosol.
in voluntaria paupertate, obedientia, & castitate Episc.
eos viuere instituit. A cuius sententia non abhorrens
 D. Hieron. scribens ad Eustochium ait: *In veteri* D. Hieron.
lege sola erat benedictio liberorum, quia vacuus erat
mundus: paulatim verò crescente segete, messor im-
missus est. Virgo namque Elias, virgo Elisæus, virgi-
nes multi filij Prophetarum.

Hinc colligebis, quanta sit Carmelitanæ Religio-
 nis celsitudo, cuius Fundator, omnes aliarum Reli-
 gionum Institutores, velut nouitios habuit, qui ab
 eo prima religiosæ disciplinæ elementa didice-
 runt, quæ, labentibus annis, postea alijs tradide-
 runt. Denique in huius rei confirmationem produ-
 co Iosephum Antiochenum libro de *perfecta mili-* Ios. An-
tia primitiua Ecclesia cap. 12. ita loquentem: *Per-* tioch.
fectorum Christi militum, id est, Apostolorum coad-
iutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, con-
templationi dediti, Eliæ, & Elisæi sequaces, qui de
monte Carmelo descendentes, per Galilæam, Sama-
riam, & Iudæam fidem Christi constantissimè sparse-
runt. Ecce quomodo Christianæ militiæ, strenui
iam milites effecti, ab ijs montibus descende-
runt, vt religiosæ vitæ magisteria
 præberent.

CA-

CAPVT III.

*Matrem huius Ordinis & Patronam singularem esse,
semperq; fuisse Beatiss. Virginem
MARIAM.*

Paleon.

Sixt. V.

Iulius II.

Gregor.

XIII.

Ioã. XXII.

Sixtus IV.

Verum excellentiam Carmelitanae familiae hic sistere gradum minime putamus. Etenim, licet ex præclaro Parente originem ducat, clariorem multo nanciscitur matrem, Deiparam scilicet Virginem, quæ multo illustriorem, ac celebriorem illam reddit. Vnde Paleonvdorus libr. 1. cap. 2. ait: *Tempore prædicationis Apostolorum, sunt Carmelita conuersi ad Euangelicam perfectiorem, & ab eis Baptizati. Atque cum illis fidem Christi in primordijs nascentis Ecclesie constantissime defenderunt & prædicarunt. Isti continuantes Patronatum suæ sororis, Virginis MARIÆ Dei Genitricis, ab ELIA prius præelecta in Ordinis sui PATRONAM, in monte Carmelo primi, in eius honorem Ecclesiam seu oratorium construxerunt. Ne autem quispiam in dubium reuocet, huius sacrae Religionis alumnos, Elia & Elisæi successores, & descendentes esse, quamuis plures Sedis Apostolicæ eius rei testes, mihi suffragantes, in medium producere possem, ut Sixtum V. concedentem proprio motu huic Religioni, Officium de S. Elia, tanquam de vero eius Patrono recitare, Iulium II. in Bulla, cuius initium est, *Ad sacrum Ordinem Beatae Mariae Virg. de monte Carmelo.* Gregorium XIII. in Bulla, quæ exorditur, *Vt laudes Gloriosissimæ Virginis Mariae*: nec non Ioannem XXII. qui omnes ab Elia, & Elisæo, iure hæreditario hanc sacram Religionem originem ducere constanter affirmant, solius Sixti IV. Pont. Max. felicis recordationis verba in Bulla super hoc edita recitabo. *Dum attentam (inquit) meditationem pensamus, quod Gloriosissima Dei Genitrix MARIA Virgo venustissima, & omnium virtutum* flori-*

floribus insignita, cuius ineffabilem pulchritudinem
 Sol & Luna mirantur, cuiusq; precibus iuuatur po-
 pulus Christianus, & qua florem immarcessibilem,
 & æternum Dominum nostrum IESVM Christum im-
 mensa S. Spiritus cooperante virtute genuit, pro-
 duxitque sacrum Ordinem B. MARIÆ de monte
 Carmelo, à sancta Sede Apostolica, & pluribus Ro-
 manis Pontificibus prædecessoribus nostris, & etiam à
 nobis multipliciter approbatum, quem eiusdem Glo-
 riosissima Dei Genetricis, semperq; Virginis MARIÆ
 speciali titulo voluit insigniri, ut ob eiusdem Virginis
 reuerentiam Ordo ipse à Christi Fidelibus merito per-
 amplius veneraretur, ipsiq; Christi Fideles propterea
 eiusdem Virginis MARIÆ suffragiis adiuti, æternæ
 retributionis præmia facilius consequi mererentur;
 du sublimium dicti Ordinis utriusque sexus per-
 sonarum virtutum merita, Deo quidem grata, & in
 conspectu prædictæ sedis accepta, digna memoria recen-
 semus, ac Ordinem ipsum ac illius personas sub Sedis
 Apostolica, & Ecclesia Romana protectione immedia-
 tæ existentes, ac inter ceteros Regularium Ordinum
 Professores, in firmamento Catholica Fidei militan-
 tes, tanquam Religionis speculum, & exemplar
 speciali charitate fulgentes, Sanctorumq; Prophe-
 tarum Elie, Elisei & Enoch, nec non & aliorum
 Sanctorum Patrum, qui montem Sanctum Carme-
 li, iuxta Elie fontem inhabitauerunt, successionem
 hæreditariam tenentes; fructus quoque vberes, quos
 dictus sacer Ordo in agro militantis Ecclesia, in pro-
 pagatione Religionis & Fidei orthodoxæ hætenus pro-
 duxit utiliter, & producit, ac in futurum productu-
 rum fore indubitanter speramus paternæ charitate
 intuemur, &c. Quam Bullam totam referre cupe-
 rem ad prærogatiuam, ac sacri huius Ordinis ex-
 cellentiam ostendendam, sed breuitatis causa, il-
 lam consultò prætereo, contentus dicere, Ordinem
 tanta Matre, taliq; Domina cohonestatum, æquum
 esse appellare beatum. *Beatus venter, qui te por-
 tauit,*

tavit,

*tauit, & ubera doctrinæ, quæ à Mariano vberè
suxisti.*

CAPVT IV.

*Singularem tesseram Deiparæ Virginis in hanc Reli-
gionem amoris esse miraculosum Scapularis
traditi Donum, eiusq; priui-
legium.*

Postquam autem sacra hæc Religio à Summis
Pontificibus confirmata, multisque priuile-
gijs, ac Apostolicis prærogatiuis donata fuit
S. Pater *Simon Stock* *Anglus* in Generalem istius
Ordinis creatus, Christo Redemptori nostro, ac sa-
cratissimæ Virgini diligentissimè inserviens, & et
Religio simul tota grata illi obsequia præstare,
quomodo poterat, satagebat; & quamuis non ignora-
ret Ordinem hunc gratijs, & prærogatiuis Aposto-
licis, nec non perillustri titulo Filiorum Beatissi-
mæ Virg. *MARIÆ* ac Patris *ELIÆ* successorum
mirum in modum condecoratum esse; multis ta-
men lachrymis, & orationibus honorificum illum
titulum ab ipsa Virgine Religioni benignè con-
cessum, peculiari aliquo stemmate confirmaret;
quod velut sigillum pendens esset, litteras paten-
tes Filiationis, quas eius Fratribus dederat, consta-
biliens, enixè ab ipsa Dei parente postulabat. Ora-
tio à Sancto solita recitari hæc erat:

*Ex vita
S. Simonis*

*Flos Carmeli, vitis florigera,
Splendor cœli, Virgo puerpera,
singularis.
Mater mitis, sed viri nescia,
Carmelitis da priuilegia,
stella maris.*

Hæc quidem oratio sanctissimæ Virgini adeò gra-
ta fuit, vt nocte quadam Sanctus intra suam cellam
genuflexus orans, iubar quoddam cœlestè, copio-
sumq; Angelorum cœtum intueretur, in quorum
media

medio Sanctissima Virgo ei apparuit, quæ scapulare quoddam manibus deferens, sic illum est alloquuta: *Dilectissime fili, hoc recipe tui Ordinis scapulare, meæ Confraternitatis signum, tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens aeternum non patietur incendium: ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni.* Etenim ad eum modum, quo diuinitus factum est, vt furui, & Gen. 39. albi colorum varietate, Patriarchæ Iacob agni ab alijs discriminarentur; ita & filios huius Religionis voluit Beata Virgo ab alijs discerni furuo, & albo indumento. Rei ergo illius mirandæ fama, atque rumor totam illam regionem inuasit, adeò vt iam videres neminem scapulari hoc, atque Virginis stemmate non insignitum, etiam & Principes; inter quos recensentur *Sanctus Ludouicus Gallia, & Eduardus Angliæ Reges, Henricus Lancestriæ Dux, Henricus Nortumbriæ Comes, B. Angela Bohemiæ Regis filia, alijsque permulti filij, & filia Regum, & Principum,* qui die ac nocte scapulare gestabant. Alij grauissimis ægri tudinibus affecti, scapulare tangentes, salui euadebant. Capiens autem Beatissima Virgo magis ac magis Ordinem hunc illustrare, præcipuisq; gratiarum prærogatiuis sublimare, priuilegium quoddam singulare a Filio obtinuit. Etenim, vt narratur in Bulla *Ioan. XXII.* quæ incipit: *Sacratissimo vt in culmine,* data Auenioni *Ioan. XXII.* die 3. mensis Martij, Christi in terris Vicario, *Ioan. XXII.* Summo Pontifici B. Virgo apparuit, ei præcipiens, vt euulgaret, Fratribus Carmelitis, & omnibus, cum Sacro illo scapulari sepulturæ traditis, purgatorij ergastulo detentis, meritis, & assiduis intercessionibus, pijsque suffragijs, ac singulari eiusdem Virginis protectione, primo *Sabbati* die ab ipsorum obitu adueniente, Purgatorij pœnarum integram relaxationem dandam: eandem indulgentiam concesserunt *Clem. VII. Gregor. XIII.* in Bulla quæ incipit, *Vt laudes,* nec non *Sixtus V.*

*Ioan. XXII.
Latius de
hac bulla
infra.*

*Clem. VII.
Greg. XIII.
Greg. Sixtus V.*

R

Greg.

Greg. XIV.

Clē. VIII.

NOTA

Singula-

rem præ-

rogatiuā

sacri Sca-

pularis

B. Maria

Virg. de

monte

Carmelo.

Gen. 17.

Singularissima certe gratia, qua nulla alia Religio potitur: quamuis enim Seraphici nostri Patris S. *Francisci* habitum potantibus plenaria Indulgentia concedatur, eius tamen reliqui Mendicantium Ordines participare redduntur, eandemque Carmelitanæ familiae concessit *Clemens VII.* felicis recordat. gratia verò *Scabarina Bulla* propria est illius, & non alijs communis. Scapulare ergo hoc, *signum est futurae salutis, pignus vita eterna, ac symbolum fœderis, seu pacti sempiterni argumentum.* ut enim Deus *Gen. 17.* pignit olim cum Abraham fœdus, signumque eius tribuens, inquit: *Hoc est pactum meum, quod seruabitur inter me, & te, & semen tuum post te.* protestabatur ille Christum ex genere suo oriundum fore, modo autem Virgo signum præbet, quo se sacræ huius Religionis alumnis Matrem amantissimam protestatur, Carmelitas Filios sibi adoptans.

CAPVT V.

Quare, & à quo tempore Religiosi huius Ordinis vocentur Fratres B. MARIAE Virginis.

Huius igitur in Filios adoptionis privilegii hodierna die illustri ad eò filiatione exornantur, adeoq; celebri titulo insigniuntur, ut Ducum, Marchionum, Comitum, & omnium Principum terræ honorificentissimos titulos longe præcellat. Quemadmodum autem, cum quis Marchionatus, titulo præfulgebat, si Dux, vel Princeps declaratur à Rege, Marchionis nomine suppresso Ducatus, seu Principatus honorificentiorum titulum assumit: non secus huius Ordinis Fratribus licebat iam fastidire, qui cum antea Fratres Carmelitanæ, Eliaq; sequaces nominarentur, alium gloriosorem à B. Virgine sibi donatum susceperunt, cum *Fratres Deipara Virg.* nuncupentur. Refert in idem

Ioã. Trith.

argumentum Ioannes Trithemius, grauissimus

Aucto.

Auctor, Abbas Ordinis S. Benedicti in lib. quem conscripsit de *laudibus Carmelitana Religionis c. 7.* paulò post Christi passionem, crescente per Iudæam fide Christiana, Fratres huius Religionis, qui inhabitabant Carmelum *Elia*, qui est in diœcesi Casariensi, inter Iudæam, & Phœniciam ædificasse facellum in illius montis latere, *MARIÆ* Virgini, Dei Matri sacrum. quod à Palæstinis, Phœnicibus, Galilæisque gentibus maximè fuit frequentatum, & in summa veneratione habitum, quod existimaretur primum in laudem SS. *MARIÆ* Virginis erectum. Hanc capellam ædificauit Agabus, huius Religionis Alumnus, vt testatur Baptista Mantuanus in Parthenicis *MARIÆ* per varia carmina, quæ refert Thomas à IESU Carmelita Discal. libro primo de antiquitate Ordinis Carmelit. cap. 15.

Primum templum dedicatū in honorē B. Mariæ Virg. adificarunt Carmelita. B. Maria Virg. adificarunt Carmelita. B. Maria Virg. adificarunt Carmelita.

— *secumq; putans audita seueros*

CARMELI Patres adiit, (tunc omnes Eremitæ
Cura fuit penes hos, & cœlebis ocia vita)
Moribus auxilium fractis habiturus, vt altam
Se tulit in montu requiem, siluasq; silentes,
Per secreta tulit gressum spelæa, virumq;
Viuenti cœleste genus miratus, amorem
Imbibit immensum cœli, seque ipse perosus
Incola CARMELI vixit, tandemque v luto
Tempore, cum magno fidei mysteria PAVLO
Edidicit, *MARIÆ* primus cum Patribus adem
Vertice CARMELI posuit, sociosq; vocatos
Ad Iordanis aquam lustralibus abluit undis.
Cum Baptista noua iaceret primordia gentis
Hispidus hirsuta villosa tegmine capra,
Prothographus Lucas AGABVM vocat, omnia multo
Ante videns animo fuit, interpretisq; futuri.
Namq; catenarum nodos & ferrea PAVLO
Vincula prædixit, longosq; per aquora cursus,
Vipereos morsus, simoniacosq; volatus
Insidiasq; sua Gentis, bellumq; sub ipso
Et celebrem palmam, venturaq; fata Nerone.

R 2

Hoc

Hoc autem sacellum, vt animaduertit IOANNES Patriarcha Hierosolym. in lib. *de institutione Monachorum*, cap. 36. ædificatum fuit in loco, vbi antea erat sacellum sanctissimi & clarissimi vatis ELIE huius inclytæ Religionis Institutoris, & Patroni quod iniurijs temporum perierat: fecerunt illius

Thom.

Waldens.

Nauar.

Bapt. Mat.

mentionem grauissimi auctores, præsertim THOMAS Waldensis de *Sacrament. tit. 9. cap. 89.* & doctissimus Nauarrus in *tractat. de Horis Canon. c. 21. num. 26. & 27.* vbi adducit quosdam de hoc sacello

eiusdem Mantuani versus, lib. 3. *Parthen. Mariae* quos libuit huc transcribere: adiunctis alijs nonnullis ex eodem libro, quibus Beatiss. Virginis circa Carmeli incolas amorem, vicissimq; eorum obsequium in dicto ei sacello erigendo commendat:

*In vidua deserta domo rerum indiga Virgo
Coniuge defuncto, Natoq; in regna recepto,
Ducebat tristi vitam mœrore iacentem.*

*Iam charas olim comites Martham atq; sororem
Eurus ad occiduum tulerat sine remige litus.*

*Propterea amissi quærens solatia Nati,
Palladis collem dederant cui nomina silua
Et loca, quæ curare magis quondam ille solebat
Assiduè, tanquam prolem visura petebat.*

*Impatiens amor est, maioraq; viribus audet,
Seq; reperturum credit, quæ ardentius optat.
Inter Casareas arces, Tyriosq; colonos*

*Et vada Iordanis frontem Carmelus in auras
Tollit, & assiduos latices in vertice summo
Parturiens siluas, salientibus irrigat undas
Atq; supercilio sensim demissus ab alto,
Vltima Carpathium vestigia mittit in æquor
Alluiturq; fretis Paphia quibus insula diues
Cingitur, & Pharios videt alto à culmine fluctus,
Mons Patrum pietate sacer, lateq; Priorum
Inclytus hospitio vatum, nam dicitur illinc,
Discipulo ambustam iaciens ex aère vestem,
HELIAS ardenti calum petiisse volatu.*

Illinc perpetuis ceu missi è fontibus amnes
 Relligio, & sacri fluxit reuerentia cultus,
 Quicquid habent alij montes pietatis ab isto
 Ducitur, hac una plures è vite racemi
 Diffusi latè terras, atq; æquora complent.

Et quibusdam interiectis prosequitur.

Huc igitur si quando quies vacuumq; negoci
 Tempus erat, veniens curas lenibat, & ipsa
 Maestate loci largè oblectata redibat.
 Propterea montana viri spelæa colentes
 Audito illius fato, sublime sacellum
 Apricis posuère iugis primi atq; quotannis
 Sacra instaurantes, hymnos & thura ferebant.
 Namq; ipsi sese, mox ut vulgata salutis
 Fama fuit, Christi magnis iunxère ministris
 Fautores operis Sancti, sociosq; laborum.
 Propterea istorum longos seruata per annos,
 Posteritas iungit MARIÆ cum nomine montis
 Nomina Carmeli, niueoq; insignis amictu
 Perpetuum seruat prisca pietatis honorem.
 Hos quoq; virginei penes est reuerentia cultus
 Præcipua seruata fide, velut Herculis olim
 Sacra Poticigena custodiùere nepotes.
 Hoc Deus, hoc magna Petri qui præsidet aula
 Pastor, & æternis orbem moderatur habenis,
 Sapius accitus Patribus sacroq; Senatu
 Sanxit, & æra notis signa bifrontibus extant, &c.

Propter hoc ergo sacellum à Carmelitis in Dei
 Genetricis honorem constructum, Fratres eiusdem
 sunt appellati. Quod ipsum testatur, vt alios infra
 adducendos præteream, Abbas Spanheimensis li-
 bro primo de ortu & progressu Ord. Carmelit. cap. 7.
 his verbis: Sicut à Carmelo Carmelitæ, ita à Capella,
 quam adificauerunt vsque in hodiernum diem,

Fratres Beatissima Dei Genetricis & Virg.

MARIÆ appellantur.

* * *

B. Virg.
 Maria post
 mortem
 filij sui,
 Carmeli
 montem
 adire, il-
 liusq; in-
 colas inui-
 sere sole-
 bat.

CAPVT VI.

*Confirmatio tituli, Fratrum B. MARIE Virginis
de monte Carmelo, huic Ordini à varijs
Pontificibus concessa.*

DEinde labentibus annis, ex multis huius Religionis hostibus nonnulli hunc titulum inuidentes, dicebant, hos Religiosos nuncupandos non esse à MARIA Virgine Christi matre, sed potius à Maria Ægyptiaca, quæ post purissimam vitæ obscenitatem ad se tandem reuersa, in monte Carmelo asperam duxit vitam, & maximam egit pœnitentiam. Verum cum huius Religionis Patres ad *Honorium III.* Summum Pontificem se contulissent, ab eo suppliciter postulantes, vt hunc honorificum titulum, quem malitiosè nonnulli impugnabant confirmaret: cum rem hanc discutiendam commisisset quibusdam Curialibus, qui huius rei declarationem differebant, *MARIA* Virgo sanctissima Summum Pontificem in somno admonuit, vt negotium huius Religionis absolueret, & ad exitum perduceret; *Nec est (ait) aduersandum in his, dum iubeo, nec dissimulandum, dum promoneo.* Vt autem fidem adhiberet ijs quæ dicebat, insinuauit duos ex curialibus huius Religionis emulos, Deo ultore, esse plexos dispari exitu, sed discessu pari. Vnde à somno excitatus summus Pontifex, rem hanc cum Cardinalibus pertractans, Regulam huius Religionis confirmauit, & honorificum hunc titulum approbavit 3. Kalendas Februarij, anno 1216. vt refert *Paleonydorus lib. 3. cap. 5.* in cuius victoriæ de inimicis reportatæ, grati animi signum, institutum fuit Festum commemorationis solemnis B. MARIE de monte Carmelo 16. Iulij, vnde in oratione huius diei dicitur: *Deus, qui excellentissima Virginis, & matris MARIE titulo humilem Ordinem tibi electum singulariter decorasti*

*Beatiss. V.
Maria
apparet
Honorio III.
eumq; ad
confirmandam
Carmel.
Ord. Regulam adhortatur;
amulosq;
eiusdem
subitanea
morte pernit.*

corasti, & pro defensione eiusdem, miracula suscitasti: concede propitius, vt cuius commemorationem deuoti veneramur, &c. quod in alijs aliarum horarum orationibus expresse etiam dicitur, vt patet ex Breviario antiquissimo huius Religionis. Hunc eundem titulum approbavit *Vrbani VI.* ea oblata occasione, quod progredientibus temporibus, quidam Doctores, huius Religionis æmulus eandem iniuriam refricauit, publice dicens, huius Religionis Patres à Maria Ægyptiaca, & non à MARIA Virgine matre Dei appellandos esse, cumque in Vniuersitate Cantabrigensi Claustro pleno decretum fuisset, hanc Religionem habere in Aduocatam matrem Christi *MARIAM*, eique hunc honorificum titulum iure deberi, adhuc animus illius non quiescebat. Qua de causa huius Religionis Patres adierunt *Vrbani VI.* summum Pontificem, a quo huius honorifici tituli confirmationem iterum impetrarunt.

Deinde cum *Diuus Cyrillus Alexandrinus* Car-
melitanæ Religionis filius, Sedis Apostolicæ *Legatus à latere* in Concilio Ephesino aduersus Nestorium hæreticum, B. Virginis *MARIÆ* sanctitatem, & maternitatem defenderit, eamque appellandam esse *Theotocōn*, id est, *Dei matrem*, confirmarit, approbante Concilio, mirandum non est, si hac etiam ratione, hæc Religio hunc sibi vendicarit titulum, id testante *Paleonydoro lib. 2. cap. 7.* Imò si rem altius repetere liceat, inde crederem Beatissimam Virginem Ordinem hunc speciali fauore prosequutam fuisse, quòd eum & loco vicinum, & tempore, primum sibi, & filio in obsequium exortum recognosceret; & cum eius mater *ANNA*, & auia eius *Emerentiana* maximo prosequerentur amore, (vt grauissimi tradunt Auctores, infra referendi) Religiosos illos Carmeli, ab illis trahentes originem, qui montem Carmelum incolebant: imò de matre *Emerentiana* ferunt, in monte Carmelo

Conciliū
Ephesinū.

Paleonyd.
lib. 2. c. 7.
Cur B. V.
Maria
Carmel.
Ord. spe-
ciali amo-
reprose-
quatur.

Pet. Dor-
landus.
ia-
is.

Armach.
Waldens.

NOTA.

Mart.
Italius.

fuisse illi reuelatum, ex sua stirpe Beatam Virgi-
nem nascituram, vt testatur Petrus Dorlandus Car-
thuf. in *vita S. Annæ*, & Iodocus Badius Ascensus.
Cum autem Beatissima Virgo, Nazareth inhabi-
taret, quæ teste Hieronymo, à Carmelo tribus tan-
tum distat miliaribus Carmelitas Carmelum in-
colentes, aliquando cum suis sodalibus visitabat, ob
veterem loci sanctitatem, teste Armachano Hi-
bernix Primæ, vt refert Waldensis *de Sacrament.*
titul. 9. cuius hæc sunt verba: *Erat huius Ordinis so-*
ror, nomine MARIA, qua dum de Nazareth in mon-
tana Carmeli conscendere statueret, pluries dixit filio
suo, vadam, & narrabo nomen tuum Fratribus
meis, Patris Eliæ Filijs: & quid putas Ordo Carmeli
responderit, utique illius sanctissima Elisabeth Ver-
bum: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei
ad me? atque illud verbum institutoris Eliæ: Mulier
da mihi filium. Eiusdem sententiæ est Martinus Ita-
lus in suis Chronicis: Ad eos autem (ait) qui inuenta
tempore superioribus ex Prophetis originem traxe-
runt, Sanctam Dei Genitricem cum in humanis age-
ret, sicut matrem ad Filios, sæpenumero venisse legi-
mus: ad istiusmodi etiam viros, Christum cum disci-
pulis quibusdam peruenisse didicimus.

CAPVT VII.

Verba hæc ex Canticis, Caput tuum sicut Carme-
lus, &c. ad honorem B. MARIE Virginis, eiusq;
in hunc Ordinem singularis charitatis
mysticè explicantur.

Cant. 7.

D. Greg.

AD præconium huius Ordinis & B. MARIE
Virginis de monte Carmelo valde con-
gruere mihi videtur diuinum illud Spon-
elgium *Cant. 7. Caput tuum, vt Carmelus;* varia
quæ in eo delitescunt, arcana, in laudem Virginis
placet primo referare, deinde encomia Carmeli-
tanæ Religionis prosequi. Scio, D. Gregorium per
caput, hoc loco intelligere Christum Dominum
ipsumque

ipsumque monti Carmelo assimilare: verba illius sunt hæc. *Caput Ecclesiæ Christus, qui bene, ut Carmelus dicitur, quia ipse per passionem, quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus, de quo scriptum est: Et erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini, in vertice montium: in Carmelo quippe Elias orans, obtinuit pluuiam, & nos in Carmelo orantes pluuiam impetramus, quando in Christum credentes, Christum desideramus, & à patre irrigationem gratiæ suscipimus, quam rogamus.* Hanc interpretationem sequutus eruditus auctor, Iustus, c. 7. Cant. ait: *In Carmelo monte S. Elias, & Elisæus, sæpe receptaculum habuerunt, quapropter in capite Ecclesiæ Domino nostro IESU Christo, quo sublimius nihil est, tanquam in monte Carmelo, est iusti habitaculum, & multitudo populorum, tanquam diuersitas animalium, sapientiæ percipit alimentum. Comæ capitis istius, sicut purpura Regis vincit canalibus, eminentiores sunt Sancti, videlicet Martyres Christo consimilati.* Cæterum alij Doctores præsentem locum intelligunt de ipso monte Carmelo, in eo tamen sunt diuisi, ac discordes: quod quidam illum applicant ad Ecclesiam, sicut applicuit noster Nicolaus de Lyra, qui affirmans Carmelum montem esse altissimum, & pulcherrimum, multisque herbis odoriferis refertum, ait, *Isaiam capite 35. ad explicandam Ecclesiæ Catholice fœlicitatem, adhibuisse similitudinem à monte peritam: Latabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit, quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit latibunda, & laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron. Etenim per fertilitatem, & amœnitatem horum, & præfertim Carmeli, qui fœcundissimus erat, significare voluit Isaias, quicquid erat spiritualis amœnitatis in veteri legi transferendum fuisse in Ecclesiam Christi.*

Alij tamen Doctores prædictum locum mysticè intelligentes, in laudem Virginis illum conuertunt.

R 5

Doctif-

Nicolaus
de Lyra.

Isaia 35.

Gulielm.

1. Expos.

Doctissimi Gulielmi, piam, ac præclaram expositionem primo loco apponam, ab eius verbis nihil prorsus detrahens: sic enim illum, interpretatur: *Mens in Virgine matre, monti comparatur propter excellentiam gratia. Carmelus quippe in sacris litteris mons est famosus. Cur autem non alij monti, sed Carmelo potissimum mens illa virginea comparatur, ratio est: Carmelus quippe interpretatur scientia circumcisionis, & ne pia mater videatur forte minus intellexisse mysterium Circumcisionis, quod in illo veteri populo contra originale reatum diuinitus sancitum erat. ne, inquam, videatur minus nosse mysterium circumcisionis, eo quod Filium duxit circumcidendum, quem privilegio sacre Conceptionis, & Natiuitatis sciebat esse ab omni originali labe immunem, & liberum, idcirco illi à Filio specialiter dicitur: Caput tuum ut Carmelus, ac si aperte diceretur: Bene sciebas, o pia Mater, cur populo Dei datum esset remedium circumcisionis, & tamen me, quem sine concupiscentia, ac per hoc non in peccatis singulariter concepisti, carnali circumcisioni, quasi ab originali labe purgandum subdidisti, neque hoc insipienter faciebas, sed diuina inspirationi, per spiritum edocta, seruiebas, quippe oportuit mediatorem legis factum ex muliere, fieri quoque sub lege, & hoc dispensatorie, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Hæc Gulielmus.*

2. Expos.

Secunda expositio bonum exemplum, quo Beata Virgo intuentes se, docebat, intelligentiam huius loci conuertit. Etenim sicut nulla humani corporis pars magis eminent, & patentior est omnibus, quam caput; ita in Beata Virgine nihil magis omnibus patebat, quam optimum eius exemplum: hoc ergo comparat cælestis Sponsus Carmelo, qui (ut nuper dicebam) interpretatur, *dans scientiam circumcisionis*, quia Deipara Virgo, exemplo suo docebat omnia animæ nociua circumcidere: in illam enim aspicientes, & compositos eius mores obseruantes, facile nosse poterant, quid in vita mori-

moribusque, eos circumcidere oporteret, nimirum, ex eius humilitate superbiam, ex patientia iram, ex charitate inuidiam, ex temperantia ingluuitem, ex regulatissima tandem eius viuendi ratione, effrænatissimam propriæ vitæ consuetudinem sibi refecandam addiscere poterant.

Tertiam expositionem huic affinem tradit anti- 3. *Expos.*
 quis. *Ioannes XLIV. Patriarcha Hierosolymit. ex Ioannes*
Ordine Carmelitarum assumptus, in lib. de insti- XLIV.
tutione Monachorum c. 34. vbi hæc præclara habet
verba: Sponsus in epithalamio Virgini dicit gratula-
bundus, Caput tuum, vt Carmelus: vbi per caput
intelligitur rectè anima mens, quia sicut in corporis
membris caput præeminet, ita in viribus anima mens
dignior est. Et sicut à capite membra, ita à mente ce-
tera vires anima reguntur. Carmelus vero, cogno-
scens circumcisionem interpretatur. Rectè igitur spon-
sus huic Virgini congratulans: ait, Caput tuum id est,
menstua, ô Dei genitrix est, vt Carmelus, id est, vere
cognoscens circumcisionem, quia prima feminarum
per spontaneam voluntatem, & virginitatem, sci-
uisti à te prorsus circumcidere omnem veneream vo-
luptatem.

Quartam expositionem tradit Dionysius Car- 4. *Expos.*
 thulianus art. 24. *super Cant.* Per caput Virginis, *Dionys.*
 sanctam eius voluntatem intelligit, quæ instar *Carthus.*
 Carmeli montis in Deum semper amoris altitudi-
 ne ferebatur, & bonorum operum fructibus abundabat. Additque posse etiam accipi eius intentionem in rebus omnibus altissimam.

Sed arbitror (& hæc sit quinta expositio) rectius 5. *Expos.*
 per caput *MARIÆ*, vtramque animæ eius partem
 superiorem intelligi, quæ *Carmelo* monti compa-
 ratur, tum quia sublimitate, & pulchritudine reli-
 quos omnes montes, hoc est, reliquos omnes San-
 ctos, longè superat; tum etiam quia abundat om-
 nium florum, odorumq; suauitate, id est, omnium
 virtutum, & gratiarum fragrantia; tum tandem,
 quia

3. Reg. 18.

quia sicut *Carmelus* mons propter altitudinem & viriditatem contemplationi erat aptissimus : ob quam causam *Elias* eò contemplandi gratia sercipere consueverat, vt 3. Reg. cap. 18. legimus, ita nullus locus inter puras creaturas ad contemplandum aptior inueniri potest, quam Virginis caput, hoc est, suprema eius animæ pars, in qua pœne innumera Dei dona, prærogatiuæ, ac cœlestia charismata præfulgebant. In hunc ergo montem si quis per piam, ac frequentem contemplationem ascenderit, facile profectò in summam diuinæ bonitatis, sapientiæ, potentiæque admirationem rapietur.

6. Expos.

Sextam iam adnecto expositionem, in lectione Hebræorum fundatam, qui non legunt, *Caput tuum, sicut Carmelus*, sed *Caput tuum super te, sicut Carmelus* : quibus verbis indicat diuinus Sponsus, caput Virginis dilectissimæ sponsæ suæ, non fuisse super humeros depressum, sed eminent, quod multum facit ad pulchritudinem: qua metaphora significat Virginis charitatem, quæ caput est reliquarum virtutum, eminentem in ea fuisse, non humeris ipsis coherentem, id est, operibus tantum respondentem; sed altitudine, & eminentia omnia omnino opera transcendisse, ita vt non contenta fuerit Virgo operibus, ad quæ lege tenebatur: hoc enim erat depressum super humeros habere caput, sed semper ad excellentiora supererogationis opera aspirauerit, quod est eminent habere caput super humeros. Aptè etiam charitas Virginis monti *Carmelo* assimilatur, quia sicut ille vberrimus erat fontibus, ac riuulis amœnissimus, ita charitas Virginis vberrima fuit operibus, fontibusque & riuulis, qui in proximorum vtilitatem deriuabantur amœnissima. Huic interpretationi non parum mihi fauere videtur Rabbi *Abnesdra* doctissimus inter Hebræos: nam licet affirmet, per *Carmelum* hoc loco non intelligi montem illum, in sacris litteris celebratiss.

Rabbi Abnesdra.

bratissimum; asserit tamen, significare colorem *2. Paral.*
 coccineum, sicut & *2. Paralipomenon.* vbi pro eo,
 quod vulgata nostra vertit, *coccino*, Hebraicum
 originale legit *Carmel.* Quis autem non videat,
 per coccineum colorem, ardentem, ac flammige-
 ram Virginis charitatem apte satis significari, quæ
 cum sit princeps reliquarum virtutum, iuxta illud
 Pauli: *Maiores autem horum est charitas*, recte per
 caput Virginis denotatur, quod quanto eminens-
 tius est, & sublimius reliquis corporis membris,
 tantundem feruentissima Virginis reliquorum
 omnium Sanctorum charitatem transcendebat.

1. Cor. 13.

Exercuit Beata Virgo feruentem hanc suam cha-
 ritatem, erga sacram Carmelitarum Religionem,
 immo primitias illius ei obtulit, sub protectionis
 suæ pallio, illam suscipiens, & materna sua pietatis
 viscera primitus illi aperiens. Etenim, vt in magna
 domo, præter patremfamilias, matrem etiam ali-
 quam, esse necesse est, non solum ad gignendos li-
 beros, sed ad eos deinde lactandos, & alendos: sic
 in hac sacra Carmelitanæ Religionis domo, et si
 primos parentes *Eliam*, & *Elisaum* haberet, oportebat
 tamen propriam ei esse matrem, quæ ad spi-
 ritualem hanc religiosæ proles familiam nutrien-
 dam, & propagandam, continuis suis officijs, ac
 meritis cooperaretur, qualem descripsit Sapiens, *Prov. 31.*
 dantem prædam domesticis suis, & cibaria ancillis,
 omnesq; ei famulantes duplicibus vestientem.

CAPVT VIII.

*Rationes, ob quas hic Ordo, singularem B. Mariæ
 Virginis amorem & Patrocinium promeruerit, &
 de primo in toto Orbe Templo seu Oratorio,
 in monte Carmelo B. Virgini
 dedicato.*

Quomodo autem Beatissima Virgo sacram
 hanc Religionem præcipuo amore fuerit profe-

*Ioan. Pa-
triarch.
Hierosol.
Biblioth.
SS. Patrū.*

*3. Reg. 18.
Quando
S. Elias
inceperit
Ordinem
Carmelit.*

prosequuta, & ob quam rationem specialis patro-
na, & tutrix illius sit, & quo titulo Fratres Carme-
litæ, Virginis MARIÆ, præ alijs nomen assumpse-
rint, supra inſinuauimus, nunc autem plenius id palam
faciam ex *Ioanne Patriarcha Hierosolymitano* in
libr. de instit. Monach. in veteri lege exortorum, & in
noua perseverantium, (qui habetur *tom. 9. Biblioth.*
SS. Patrum) *cap. 36.* ubi eam potissimam assignat ac
primariam, scilicet quod Ordo Carmelitarum in
laudem, & honorem Virginis MARIÆ fuerit insti-
tutus: nam Elias huius instituti Monarcha in Car-
melo monte orationi incumbens, dum septima
vice de mari nubecula conscenderet (vt *3. Reg. 18.*
narrat historia) septima ætate Virginem nascitu-
ram, & Filium Dei parituram præcognouit; & ex
tunc in virginitate perpetua ad honorem eiusdem
Virginis in Carmelo Religionem fundauit. Cura-
ueruntq; (vt verbis prædicti Ioannis utar) *successo-
res ELIÆ, cum deuotione assidue huic Virgini deser-
uire, dudum eorum antecessoribus reuelata, ac deside-
rata, & postea eis exhibita, studueruntq; hanc specia-
liter Virginem ideo sibi ipsis in patronam eligere, quia
nouerant, ipsam solam singulariter eis conformem in
primitijs Virginitatis spontanea: quemadmodum
enim virginitas spontanea, fuit primo per pristos præ-
fessores huius Religionis inchoata: ita eadem virgini-
tas fuit postmodum per Dei Genitricem primo in sa-
minis introducta, & incepta. Propter dictam ergo con-
formitatem, se ipsos Fratres B. MARIÆ Virginis ap-
pellarunt. Hæc ille.*

*Ioan. Hie-
rosolym.*

Accedit secunda ratio, quam grauissimi Aucto-
res tradunt; nempe quia Fratres Carmelitæ fuerunt
primi, qui in Ecclesia Dei, templum siue sacellum
in honorem Beatæ MARIÆ Virginis erexerunt. Id
in primis testatur IOANNES Patriarcha de *institut.*
Monach. cap. 36. qui in loco illius præclaræ regio-
nis, ubi Elias nubeculam ascendentem vidit, in
qua sibi ortus Virginis fuit præostensus, asserit:
Monachos

Monachos Carmelitas anno Incarnationis Filij Dei
 53. edificasse Virgini cappellam quandam in monte
 Carmelo iuxta fontem ELIÆ; ubi Professores præfati
 seipfos huic Virgini commendantes, singulis diebus in
 septem horis Canonicis ad effundendum d. cta Virgini,
 & eius filio sedulas preces, ac laudes, etiam tunc sem-
 per conueniebant; & propter hanc causam ceteri,
 etiam qui à Religione eorum externi erant, eos dein-
 cops Fratres B. MARIÆ Virginis de monte Carme-
 lo appellauerunt. Hæc IOANNES Hierosolymitanus,
 cui authorum turba magna subscribit, & in primis
 fama, & doctrina celebris THOMAS Waldensis de *Thom.*
 sacramentalibus tit. 9. contra Wicleph, & in doctri- *Waldens.*
 nali fidei art. 3. ubi docet ex testimonio Ioannis
 præfati, & ex Armachano Eccl. Hiberniæ Præsule,
 Carmelitas ob hanc rationem, quia sacellum Vir-
 gini primi dicarunt, Fratres Virginis MARIÆ fuisse
 appellatos. Armachanus etiam apud Walden-
 sem in serm. de Concept. Beatæ Virginis MARIÆ,
 quem prædicauit anno Domini 1342. in conuentu
 Carmelitarum Auenione sic loquitur. *Quoniam, ut Armach.*
 dicunt fide digna historia à tempore Eliæ, & Elisæi
 Prophetarum, qui sæpius morabantur in monte Car-
 melo, iuxta Nazareth ciuitatem Domina nostra ad
 triamilliaria, solebant homines deuoti secretius habi-
 tare, usque ad tempora Saluatoris. Et tunc illi Ere-
 mita, prædicantibus Apostolis, inter ceteros sunt con-
 uersi, & in uno latere montis ipsius, primi Ecclesiam
 in honorem B. Virginis construxerunt in illo loco, in
 quo didicerant ipsam in vita sua, cum alijs sodalibus
 Virginibus sapius moram traxisse: & ob hoc nimirum
 inter Religiosos, Domina nostra primitus sunt ad-
 scripti, ut vocarentur Fratres B. MARIÆ de monte
 Carmelo. Hæc Armachanus.

Accedit etiam Ioannes Trithemius Abbas Span-
 heimensis, scholæq; Heidelbergensis quondam
 clarissimum lumen, qui in libro primo de laudibus
 Carmelitarum cap. 7. ita scripsit: Sicut ex veterum *Trithem.*
 lectione

lectione didicimus, titulum B. MARIÆ Virginis Carmelitis conuenire maxime scimus. Nam ij ab exordia sua institutionis Dei Genitricem semper maximo honore, & reuerentia sunt prosecuti. Enimuero non diu post Domini passionem Fratres montis Carmeli, cappellam in eiusdem montis latere, in Dei Genitricis honorem construxerunt, eamque in Ordinis sui Auocatam ac Patronam elegerunt, & Fratres eius princeps appellari sunt. Sicut ergo à Carmelo Carmelita, ita à cappella, quam adificauerunt vsque in hodiernum diem, Fratres Beatissima Dei Genitricis, & Virginis appellantur. Et digna quidem Carmelitis denominatio, ut qui Dei matrem speciali semper amore venerantur, etiam illius sint titulo clariores. Et infra. Nec dubium mihi est, quin Dei parens MARIA hunc Ordinem speciali fauore prosequatur, quem & loco vicinum, & tempore primum sibi, & Filio in obsequium exortum recognoscit. Digni profecto sunt Fratres Carmelita sacratissima Virginis titulo insigniri. Hæc Ioannes Trithemius. Subscribit præfatus Martinus Italus, in sua Histor. vniuers. in quibus præterea Prophetarum Filij, id est, Carmelita, sacram ad eam nomini Virginis, postquam in caelos assumpta fuit, primi dedicasse perhibentur. Et Iodocus Badius Ascensus in suis Comment. Parthen. Marian. Bapt. Mant. Notum autem est, ait, eos (Carmelitas) Apostolis sociatos fidem Catholicam inter primos prædicasse, primosq; templum Diuæ Virginis in Carmelo construxisse, unde præcipue titulum meruerunt, ut Fratres Diuæ Virginis appellantur. Hæc ille.

Ante omnes verò Authores prædictos, docuit id Historia quæ Romana dicitur, in qua de templo Carmelitis SS. Virgini dicato, sic scriptum inuenies: *A tempore Eliæ, & Elisæi Prophetarum, Religiosi de numero eorum qui morabantur in monte Carmelo, iuxta ciuitatem Domina nostra Nazareth, secret. solebant inhabitare vsque ad tempora Salu-*

NOTA.

toris, qui tandem, prædicantibus Apostolis, in fide confirmati, in vno latere ipsius montis, primi Ecclesiam in honorem Virginis MARIÆ construxerunt. Meminit autem huius oratorij in obsequium Virginis à Carmelitis primitus constructi Iosephus Antiochenus, Paleonvdorus, Hieronymus Platus de Bono status Relig. lib. 3. cap. 22. vbi nomen ab eo fatetur Carmelitas accepisse, quia prima omnium B Virginis in terrarum orbe dicata Ecclesia, ab eis fuerit erecta, Paulus Morigia Ordinis Iesuatorum, qui in libro de Origine Religionum lib. 1. cap. 30. aperte fatetur, Carmelitas, gloriosum Virginis nomen, & patrocinium præ cæteris, & meruisse, & accepisse quia primi sacellum, siue Ecclesiam in Virginis MARIÆ honorem in Carmelo monte fundauerunt.

Iosephus
Antiochē.
Paleonyd.
Hieron.
Plat.

Paul. Morigia.

Ecce illustrissimam hanc nomenclaturam Beatæ Virginis de monte Carmelo nacti sunt Religiosi Carmelitani, quia verè illi primi fuerunt, qui Virgini MARIÆ in primo Ecclesiæ sæculo Oratorium constituerunt: primi, qui eius obsequio, & amori inter cæteros Religiosos addicti sunt: primi, qui tanta Virginis conuersationem, & familiare colloquium meruere. Nam, vt piè Mantuanus sentit, MARIÆ non raro Carmeli incolas inuisere solebat, eorumque colloquio, & familiaritate oblectari, quod ex eo, opinor, maximè credibile, quia cum Nazareth (vt Authores supra adducti affirmant) tribus milliaribus tantum distaret ab ELIÆ fonte, siue Carmeli vertice; quid mirum, si Sanctissima Virgo Eremitas Carmeli, quorum sanctitas, & religio totam Palæstinam, & Alexandriam illustrabat, non sæpe adiret, eosque suis colloquijs, & necessitudine foueret: maxime cum post passionem Christi eos ad fidem & Euangelij prædicationem conuersos videret. Nec ignoro, quosdam, etiam hoc Ecclesiæ nascentis tempore, alia Virgini MARIÆ templa constructa referre: Inprimis enim Vin-

Mantuanā.
Parthen.
Deipara
V. adhuc
in terra
existens
familiaris
fuit Carmelitis.

*Vincent.
Beluat.*

centius Beluacensis libro octauo in *Spec. hist.* c. 91. testatur, Martha Mariæ Magdalena sororis hor-
tatu, postquam in Galliam ex Palæstina mirabili-
ter, Lazaro, & Maximino comitata, peruenit, post
nouam Euangelicæ doctrinæ lucem Massiliensibus
demonstratam; demum factum esse, vt duo templa
alterum Christo Domino, alterum verò eius Ge-
nitrici constructa fuerint. Nec me latet, memoriæ
esse præditum, Apostolorum sæculo, templum
aliud Virgini fuisse dicatum; scribit enim Raphael

Volaterr.

Volaterranus *libr. 11. Geograph.* Antaradi, quæ &
Antaradus dicebatur, nunc autem Tortosa appel-
latur, antiqua, & egregia Phœnicia Urbs, in litore
maris sita, vt ex B. Hieronymo in *Ezechielem* c. 27.
& ex Gulielmo Tyro *lib. 7. belli sacri cap. 15.* colligi-
tur, sacellum stare, quod primus omnium Diæ
Genitrici Petrus Apostolorum Princeps excitauit,
& in quo primum ipse quoque sacrificauit; imò
qui Hispaniam, & res gestas illic à Iacobo Aposto-
lo describunt, constanter affirmant, Sanctissimam
Virginem in ciuitate Cæsar-augusta, eidem Apo-
stolo apparuisse, & post apparitionem templum
vel sacellum, quod nunc etiam est celeberrimum,
eodem Apostolo auctore erectum fuisse. Hanc re-
rò primam in toto orbe Christianorum Ecclesiam
varijs modis, tabulis, & testimonijs, perpetua gen-
tis Aragoniæ fama, simul & traditio clamant. Qua
de re etiam post Beutherium, meminit Ioannes

*D. Hierõ.
Gulielm.
Tyr.*

*Beuther.
Ioan. Bass.*

Basseus in *Chronico rerum Hispanicarum.* Vetus-
tissimum autem à Carmelitis fuisse constructum templum
Virgini sacrum, grauissimorum virorum authori-
tas, quos supra retulimus luculenter confirmat
quicquid Vincentius, Volaterranus, Beutherius, &
Basseus scribant. Nam cum historiæ fides ex nu-
mero, & testium grauitate crescat, tot sunt pro hac
sententia testimonia, simul cum antiquissima eius-
dem Religionis traditione, vt ab autoritate pau-
corum, ac singularium testium minime superari
queant.

queant. Pro quo sciendum est, quod Carmelitæ duo
 sacella, siue templa, in Deiparæ Virginis honorem,
 in monte *Carmelo* construxerunt: *Primum*, ipsa ad-
 huc viuente, non diu, vt inquit Trithemius, post
 Domini passionem, in vno latere, siue vt alij do-
 cent, in decliuio montis Carmeli: *alterum*, mox
 post gloriosam eius in cælos assumptionem, in eo
 montis Carmeli loco, vbi *Elias* olim ascendentem
 nubeculam Virginis typo insignem conspexerat,
 id est, in vertice Carmeli, vti constat ex *3. Reg. c. 18.*

CAPVT IX.

*Varia priuilegia ex titulo S. Mariæ V. huic Ordini
 concessa, varijque Sancti, Alumni, & Æmulato-
 res virtutum eius recensentur.*

ATque hinc est, quod attendentes Summi
 Pontifices, honorificam hanc nomenclatu-
 ram *Fratrum S. Mariæ de monte Carmelo*
 esse propriam huius sacræ Religionis, ab antiquis-
 simis illis temporibus monachorum habitantium
 in Carmelo, illam Apostolicis suis Bullis confirma-
 runt, expressis verbis declarantes, hunc sacrum Or-
 dinem, à B. Virgine Dei parente, editum fuisse.
 Etenim *Sixtus IV.* in quodam diplomate Carmeli-
 tis concessio, id sequentibus verbis testatur: *Sixt. IV.*
*Dum
 attenda meditatione pensamus, quod Virgo venustis-
 sima, quæ florem speciosissimum Dominum nostrum
 IESVM Christum, ineffabili Sancti Spiritus cooperan-
 te virtute, genuit, produxitq; sacrum Ordinem
 B. Mariæ de monte Carmelo à Sede Apostolica,
 pluribusque Romanis Pontificibus multipliciter ap-
 probatum, quem eiusdem gloriosissima Dei genitricis,
 semperq; Virginis Mariæ speciali titulo voluit in-
 signiri &c.* Eodem ferme modo loquuntur, alij
 Pontifices, *Sixti IV.* successores, & nouissime *Gre-
 gorius XIII.* in Bulla quæ incipit, *Vt laudes Glorio-
 sissima,* eisdem fere vtitur verbis, ac ipse *Sixtus IV.* *Greg. XIII.*

Innoc. IV.

immò omnibus fidelibus Ordinem Carmelitanum sub titulo *Fratrum B. Mariæ Virginis* nominantibus *Innocentius IV.* decem dies indulgentiarum contulit, *Vrbanius vero IV.* tres annos, & totidem quadragenas indulfit. Et quidem si magni principes in pignus amoris, & in argumentum sui favoris, & gratiæ, eis, quos ex sacro baptismatis fonte excipiunt, tanquam proprijs filijs charissima suæ familiæ cognomina mutuant, quibus non parum illi splendoris nanciscuntur; sane Beata Virgo non minora sui amoris pignora, huic sacre Carmelitanae Religioni præstitisse censenda est, cum *Mariani* sui nominis celsissimam nomenclaturam ei conferre non dubitauerit, ut iam non aliter nominentur, quam *Fratres sanctæ Mariæ de monte Carmelo*: & quod excellentius est, non solum sui nominis, sed & suarum virtutum, alumnos huius sacre Religionis, legitimos hæredes instituit, ut palam ostendunt sanctorum, ac sanctarum millia, quæ ex hac sacra Religione prodierunt: etenim præter antiquissimos eius parentes, sanctissimos *Eliam*, & *Elisæum*, nec non *Ionam* filium *Sareptanae* viduæ, quem *Elias* mortuum ad vitam reuocauit, *Michaë*, & sanctum *Abdiam*, certe in ea floruerunt omnes *filij Rechab*, omnes *Esseni*, ac denique omnes *Filij Prophetarum*, quos omnes monachos in veteri testamento fuisse, affirmant sancti Patres, præcipue

S. Hieron. S. Hieronymus in *epistola ad Rusticum*, quæ in ordine est quarta, & in *epistola ad Paulinum*, quæ est in ordine decimatertia & alij plures: tunc autem non erat alius monachatus, quam Carmelitanus: in nouo vero testamento, præter S. *Ioannem Baptistam*, *Eliæ* spiritus hæredem, quem sancti Patres passim appellant monasticæ disciplinæ Patrem, & Principem, floruere insigni vitæ sanctitate præditi

S. Cyrill. Sanctus *Cyrillus* Patriarcha Alexandrinus, qui loco *Calestini I.* Concil. Ephes. præfuit, ubi *Deiparam* non solum *Christotocon*, sed & *Theotocon*, hoc est, Matrem

Matrem Dei appellandam esse, contra Nestorium
 hæreticum publice defendit, B. Ioannes Patriarcha *Ioan. 44.*
 Hierosol. qui quadragesimus quartus post D. Iaco-
 bum annumeratur, & scripsit teste Genadio contra *Genad.*
 obrectatores sui studij librum, in quo ostendit, sibi
 Originis ingenium placuisse, non tamen doctri-
 nam eius sequutum, alium etiam de *institut. pri-*
morum Monachorum, in veteri lege exortorum, & in
noua perseverantium scripsit ad Caprasium, qui ha-
 betur tom. 9. Bibliothecæ sanctorum Patrum edi- *Biblioth.*
 tione secunda: eiusq; meminere S. CYRILLVS CON- *SS. Patr.*
 stantinopolitanus in *epist. ad Abbatem Ioachim*, S. Cyrill.
 Thomas Waldensis de *sacramentalibus tit. 9. c. 89.* *Waldens.*
 Molanus, Genebrardus, & alij innumeri scripto- *Molanus.*
 res, eoque libro passim vsi sunt Theologi, præcipue *Genebrar.*
 ad confutandas hæreses, & deliria Magdeburgen-
 sium, Melanctonarum, & aliorum asserentium,
 monachatum rem esse nouam, aut nudiustertius
 ortam in Ecclesia post Christum, eiusq; doctrinam, *Waldens.*
 quos Waldensis, contra Wicleph confundit præ-
 citato *titul. 9. cap. 89.* manifestè probans, monacha-
 tum antiquissimam esse hæreditatem Ecclesiæ, ad-
 umbratam in Enos, qui speciali præ alijs cultu
 cepit inuocare nomen Domini: expressam au-
 tem in *Elia Carmelitarum Patriarcha*, continua-
 tam verò in *Filijs Prophetarum, Rechabitis*, atque
Essenis vsque ad *Ioannem Baptistam*, simillimum, ac
 singularissimum *Elie* successorem, & sequacem: ac
 denique Apostolorum tempore perfectam, & per
S. Dionysium Pontificem, qui primus ex monachis
 assumptus est in Papam, per *SS. Antonium, Cyril-*
lum, & Ioan. Hierosolymit. vsque ad quartum sæcu-
 lum protractam: quo argumento, & doctrina
Waldensis, quem etiam ibidem citat in doctrinali *Card. Bel.*
 fidei art. 1. cap. 1. vsus est Dominus Cardinalis Bel-
 larminus *lib. 2. de monachis c. 5. de origine Religio-*
num contra huius temporis hæreticos Magdebur-
 gens. Calvinum, & Melanctonem, licet postea in
 S 3 libello

libello de scriptoribus Eccles. ad an. 390. dubitet de hoc Ioan. lib. ad Caprasium. quo tamen ipse frequenter (vt dixi) vsus est. Equidem si dubitare licet, eneruatur, & infirmatur doctrina Waldensis dicto tit. 9. vbi illius præcipuè libri autoritate fulcitur, sui temporis hæreticos ita expugnauit, vt a *Martino V.* Pont. Max. meruerit non solum sui operis confirmationem obtinere, sed & summis etiam laudibus ab eo extolli, vt constat ex bulla dicitur.

Mart. V. *Martini V.* Waldensis operibus inserta: consequentur etiã rueret magna ex parte veritas antiquitatis monachatus, quam Theologi docent, per multa mutantes ex doctrina Waldensis, qui copiosius in hoc genere argumenti scripsit, & auctoritate *Ioannis XLIV.* frequenter vitur. Floruit etiam *S. Bertoldus* primus Generalis Latinorum, *S. Brocardus*, *S. Cyrillus* Constantinopolitanus, *S. Simon Stoch* Anglus, cui sanctissima Virgo insigne sui Ordinis scapulare dedit, *S. Hilarion*, *S. Albertus* de Drepano, a *Sixto IV.* canonizatus; floruit *S. Henoch* Patriarch. Hierosol. qui vitam *sancti Angeli* Martyris scripsit. *S. Ioannes* itidem Patriarch. Hierosolymit. qui fuit non solum professione, sed etiam sanguine frater dicti *sancti Angeli*, *S. Franciscus de Senis*, *S. Theodericus* Germanus, *S. Petrus Thomas* Bononiæ Legatus, Episcopusq; Pactensis, ac tandem Patriarcha Constantinop. qui fundauit Bononiæ facultatem Theologicam in Vniuersitate Bononiensi ex ordine summi Pontificis, cuius vices ibi gerebat, vt constat ex libris institutionis eiusdem facultatis floruit *Beatus Andreas* de Corfinis Episcopus Felulanus, *B. Auertanus* Gallus, & *B. Romus*, quorum corpora honorificè coluntur Luca in Ecclesia cathedrali, *Petrus Lupus* Belga, martyr insignis, trucidatus ab hæreticis in Belgicis tumultibus, *B. Iacobinus* de Cracouia, *B. Stanislaus* Polonus martyr, *B. Ludouicus Randa* martyr Siculus: sed & his non contentus, alios non minus insignes sanctos

nunc

nunc commemorabo. Hi sunt *S. Telesphorus*,
S. Dionysius Papa, qui fuerunt primi, qui ex mona-
 chis assumpti sunt ad Pontificatum, (vt scribit
S. Damasus in vita *S. Dionysij*, & adducit Illustrissi-
 mus Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de monachis c. 5.* *Card. Bellarm.*
de origine Religionum, vt probaret ante annos mille
 quadringentos fuisse in Ecclesia monachos, *Elia*
 successores,) Sanctus *Anastasius Persa* martyr il-
 lius temporis, *S. Benedictus* Papa, & martyr, de qui-
 bus omnibus, tanquam de palmitibus vineæ Car-
 meli, Apostolica auctoritate fit officium in ordine
 Carmelitarum, & appositi sunt in Calendario, &
 Breuiario sub nomine Carmelitarum. Nec refert, *Trith.*
 quod Trithemius dicat, hunc *Benedictum* fuisse *Abb.*
 Abbatem Ordinis *S. Benedicti*: nam reuera ex Or-
 dine Carmelitarum fuit assumptus ad dignitatem
 Abbatis *Benedictini*; quod non semel euenit, præ-
 cipue in Hispania; immo paucis retro annis acci-
 dit, quod Reuerendissimus Dominus *Martinus*
Cuparus Mechliniensis, ex Priori Prouinciali infe-
 rioris germaniæ Ordinis Carmelitarum, fuit as-
 sumptus, & creatus Abbas conuentus *S. Crispini*,
 celeberrimi *Benedictinorum* monasterij, & ex
 Abbate Episcopus *Calcedonensis* electus est. vt au-
 tem euident fiat hoc ita fuisse, id testatur epita-
 phium, quod erat in tecto basilicæ *Sancti Petri*,
 quod proprijs expensis restituit: sic enim habebat
 aureis litteris scriptum, è regione sui sepulchri:
Hic iacet BENEDICTVS, quem CARMELVS protulit,
CASSINVS aluit, VATICANVS coronauit. Alludens
 ad tres montes *Carmeli*, *Cassini*, & *Vaticani*, in
 quibus ortum, progressum, & finem habuit, cuius
 epitaphij memoria, ne temporum iniuria deperi-
 ret, illud ex dicta Basilica excerpfit *Claudius de la* *Claudius.*
Ville Gallus doctor celeberrimus, & in libro he-
 roicorum epitaphiorum apposuit libro secundo,
 epitaphium octauum, vbi hoc modo explicat veri-
 tatem epitaphij: *CARMELVS protulit, Cassinus aluit,*

quia pro victu, & vestitu, & necessarijs ex Abbatiati
 Cassiniensi dignitate annuos prouentus accepit.
 His accedunt S. Albertus Hierosolymorum Pa-
 triarcha, qui Carmelitis dedit Regulam quandā, &
 Patriarcha creatus Hierosolymorum suo iure, a se
 iam pridem confectam, confirmauit: Beati Fran-
 ciscus, alias (deprauatè) Francus, & Blasius Episco-
 pus Cremonensis, quorum corpora Cremonæ re-
 quiescunt; B. Ioannes Soreth Nortimanus totius
 Ordinis Generalis Prior, ac Reformator, Nunnus
 Aluarus Pererius Comes stabilis Portugallæ se-
 mifrater, vt vocant, cuius corpus gloriolum Vlysi-
 pone requiescit in regio conuentu Carmelitarum
 quem sibi ipse ædificare fecerat, & postea profes-
 sione semifratriis emissa, in eodem monasterio hu-
 militatis munera exercens, viuus, & mortuus mira-
 culis coruscavit innumeris. B. Ioannes Sancius Va-
 lentinus, Prouincialis Valentia, B. Angelus alias
 Petrus Cernouichius, Principis Cernouichij filius,
 quorum corpora in augusto Valentinorum Car-
 melitarum monasterio in dies miraculis conspicua
 requiescunt. Consultò, vltimo loco refero alium
 S. Angelum Hierosolymitanum insignem marty-
 rem, qui dono prophetiæ futura solitus vaticinari,
 stigmata Domini, Patriarchæ nostro D. Francisco
 imprimenda fore, præsentè B. Dominico, prædixit
 Romæ in Ecclesia S. Ioan. Lateran. vt tradunt Pe-
 trus de Natal. in *vita S. Angeli* post librum duode-
 cimū, de Sanctis nuper canoniz. c. 10. & Baptista
 Mant. in apolog. pro Carmelitis, & præcipuè Tho-
 mas Belloriosus in *vita Sancti Angeli*, quam Enoch
 Patriar. Hierosol. Carmelita coætaneus ipsius An-
 geli scripsit, & postea ipse Thom. Protonot. Apost.
 prælo mandauit in triginta capita distributam, vbi
 postquam cap. 20. retulerat sanctum Angelum ex
 Hierusalem summo Pontifici Honorio III. & Fri-
 derico de Claromonte ex parte Patriar. Hierosol.
 attulisse quasdam reliquias, scilicet *tibiam*, & *bra-*
chium

Pet. de
 Natal.

Bapt. Mät.
 Tho Bello.

obitum S. IOANNIS Baptista, caput Hieremia Prophe-
ta, brachium S. Catharina, tibiam S. Georgij, & ima-
ginem B. MARIÆ Virginis, sic ait, cap. 21. Relictis
Honorio, & Friderico in ciuitate veteri, Romam
venimus, ubi loca Sanctorum omnia deuotè lustran-
tes, mane proximo, maxima cum cleri, tum populi
multitudine coacta, in basilica S. Ioannis Lateranen-
sis, sanctus Dei ANGELVS magno spiritus feruore præ-
dicare cœpit: aderant ibi sancti Dei viri Franciscus,
& Dominicus, quos cum nusquam antea vidisset, su-
perna claritatis splendore mens illustrata, nouas, sed
sublimissimas Ecclesie columnas adesse prædixit: ser-
mone tandem finito, S. Dominicus spiritu eleuatus,
dixit S. Francisco, hic est Angelus Hierosolymita-
nus, Christi, & fidei Catholicæ defensor, & decla-
mator ardentissimus, qui doctrina, & sanctitate vitæ
incredibiliter Christianæ fidei profuit; cui S. Fran-
ciscus respondit: hic est ciuis cœlestis, qui in Sicilia
martyrio coronabitur; & ambo simul animo hilari
ad sanctum ANGELVM veniunt, & eum incredibili
humilitate salutant, ac mutuo pacis osculo prose-
quuntur: tunc ANGELVS, saluete, inquit, maximi
Christianæ militiæ Doctores, Dominice impugna-
tor hæresum strenuissime, & Franciscæ Christi præ-
cipue imitator, qui virtute humilitatis, vera porta-
bis stigmatum Christi, priuilegio datum est tibi mor-
tiferam hæreticorum rabiem compescere, Chri-
stianum nomen defendere, & Ecclesiam augere, &
illustrare: & Franciscus subdit: tibi Angele, verita-
tis defensor, meritò gestiendum est, breui namque
in Sicilia martyrio vitæ militiam terminabis, & tri-
plici laurea coronatus diuinæ fruitionis, & sempit-
terni gaudij præmia suscipies. Ad hæc Angelus: vo-
bis sanctissimi viri, vobis magis gaudendum est,
quibus Christianam Rempublicam fœlicibus cœ-
ptis, meritis, & doctrinis amplificare concessum
est: ijs, alijsq; vltro, citroque inenarrabili charitatis
ardore dictis, de multis, & magnis scripturarum, &
fidei

NOTA.

fidei mysterijs humiliter inter se locuti sunt. & cum prope ad sanctam Sabinam peruenissent, homo quidam genere nobilis, sed leprosus obuiam eis veniens dixit: orate sanctissimi viri, ut Deus fædo hoc morbo vestra intercessione me liberet, quem illi in pace abire iubent, & subito sanus effectus dat gloriam, & honorem omnipotenti Deo. Angelus autem cum Dominico, & Francisco illum diem, & noctem in diuinis sermonibus, & oratione transegit. Hæc ibi. Huius colloquij meminere celeberrimi viri Franciscus Maurolicus in suo Martyrologio die 6. Maij, Petrus de Natalibus in vita sancti Angeli Carmelita, necnon Baptista Mantuanus in Apologia pro Carmeliticis, & in vita sancti Angeli, qui in huius rei testimonium hæc præclara carmina cecinit, lib. 5. de sacris diebus:

*Cum mare transisses, cupiens inuisere Roma
 Reliquias, sacros cineres, monumentaq; Patrum,
 Et Lateranensis stares in limine templi,
 Contigit aternis res memoranda diebus.
 Nam minor Etrusca veniens de monte Lauerna
 Ad tua Franciscus sese vestigia flexis,
 Prostravit genibus, sacris dedit oscula plantis,
 Insuper adiecit, salue Pater ANGELE montis,
 Incola Carmeli, te mors manet inclyta, Christi
 Tectus eris, tibi Rex diuum decus annuet istud.
 Te quoque Francisco memorant responsa dedisse,
 Talia, soluendo tanto promunere grates:
 O Francisce Deo, sed erit tua gloria nusquam
 Inferior, tibi Christus enim sua vulnera quinque
 Imprimet, & fies Christi patientis imago.
 Dominicus Hispanis, qui tunc veniebat ab oris
 Forte aderat, tam mira notans præsagia Patrum,
 Et tulerat casus mundi hæc tria lumina in unum, &c.*

CAPVT X.

Beatissima Virgo MARIA hunc ipsa Ordinem ELIÆ
professa, quas potissimum Sanctas Moniales suc-
cessu temporis huic Ordini pepererit.

Dionysius Carthusianus quem secuti sunt *Dionys.*
Bergomensis libro *de illust. fœm.* & Guiliel- *Carthus.*
mus Einsengr. affirmat B. Virg. MARIAM *Guilielm.*
monasterium instituisse centum quinquaginta *Einsengr.*
Monialium, cuius curam ipsa habebat: constat au-
tem tunc nullum aliud viguisse institutum nisi E-
lianum. Ob hanc ergo rationem meritò etiam
Carmelitæ *Fratres S. Mariæ de monte Carmelo*
nuncupantur, cum iuxta istorum sententiam DEI-
PARA Virgo monasticum *Elia* institutum fuerit
professa.

Tandem, vt vno verbo absoluam, nemo est qui
scripto, nedum coniectura assequatur, quot ab
Elia in speluncis, cauernis, montibus, & desertis
Ægypti, & Thebaidæ & aliarum Regionum mo-
nasticam vitam professi, Eliani instituti fuerint
cultores, ac huius sacræ Religionis Filij. Vnde Tri-
themius *lib. 1. cap. 12.* de laudibus Carmelit. ait: *Tot*
Sancti sub Ordine Carmelitano fuerunt, vt penitus
numerari nequeant: etenim si quis stellas Cali dinu-
meret, & Sanctos huius Ordinis numerare poterit. Ex
monialibus autem huius Ordinis nonnullas insigni
sanctitate præditas referam, in Sanctorum, ac Bea-
torum catalogum redactas. Fuerunt ex his *S. Eu-*
genia virgo Alexandrina, *S. Euphrasia* Virgo, Im-
peratoris *Theodosij* consanguinea, *S. Cyrilla* virgo,
& martyr, *S. Pelagia*, quæ cum aliquando licentiosè
vixisset, Religionem hanc ingrediens, singulari
Dei motione, habitu fœmineo, in virilem mutato
(rem sanè mirandam, sed non imitandam) inter
monachos sanctissimam vitam egit, vt *Iacobus*
Diaconus in eius vita refert: *S. Sara* virgo, cuius
memi-

meminit Vincentius *lib. 18. cap. 9.* nec non S. *Eu-*
Vincent. *phrosina* virgo, vt idem tradit Vincentius *lib. 13. c. 51.*
S. Romana virgo, *B. Maria* Abbatissa illius mona-
S. Ambr. sterij, quod sancta Helena in monte Caluario fun-
 dauit, vt refert S. Ambrosius orat. in laudem Theo-
 dosij; ibidem sancta Syncretica virgo, *S. Matrōna*
Paleonyd. virgo, vt ex sancto Hieronymo, & ex Vincentio
 adducunt Paleonydorus Battauus *lib. 2. cap. 4.* &
 Thomas de IESV *lib. 1. de Antiquitate Ordinis Car-*
melitarum c. 14. in monasterio Berthelem SS. *Paula*
Paula vidua, & *Eustochium* eius filia: *S. Venerea*, *S. Theo-*
dora, *S. Vsha*, *S. Adolia*, *S. Basianilla*, *S. Photina*,
S. Afella, *S. Anita*, quarum vitas, & admirabiles
Palladius. virtutes refert Palladius in historia sanctorum Pa-
 trum in vita Opiani; qui & refert, quod in ciuitate
 Ancyra reperiabantur plusquam decem millia mo-
 nialium professionis *Elia*, inter quas quædam no-
 mine *Magna*, ob heroica virtutis opera eminebat.

His adnecto S. THERESIAM, cuius excellentem
 doctrinam, ac religiosæ vitæ institutionem diui-
 nitus inspiratam, sequutæ innumera Virgines,
 magna sanctitate floruerunt, & hodie in Ecclesia
 tanquam lucidissima sydera præfulgent: *S. Ange-*
lam, filiam Regis Bohemiæ; ac tandem *B. Mariam*
Magdalenam Florentinam, per quam tam admi-
 randa Deus patrauit, vt omnes audientes obtu-
 pescant.

Consulto missos facio sanctos, & sanctas ex Or-
 dine Tertiario, vt *Eduardum* Regem Angliæ, fere-
 nissimum Infantem D. Alphonsum de la Cerda, qui
Siluest. Carmelitas in Hispaniam induxit, *S. Angelam de*
Abb. *Arena*, de qua Siluester Maurolicus Abbas sanctæ
Mariæ Rochamatoris Ordinis Cisterciensis in hi-
 storia sacra, *Mare Oceanum omnium Ordinum* ap-
 pellata, *lib. 4.* vbi agens de Carmelitis Tertiariis
 ait: quod cum prædicta *Angela* vellet Tertiaria
 fieri alterius Ordinis, in antecedenti nocte in som-
 nis apparuit illi scala Cælos tangens summitate, &
 imo

imo terram, iuxta quam erant duo sancti Ordinis Carmelitarum, qui dixerunt ei, *si vis per hanc scalam ad Cælum ascendere, sume habitum Tertiarium B. MARIÆ Virginis de monte Carmelo*: sumpsit illa, & cum maxima sanctitatis opinione obiit in Sicilia die 21. Octob. 1556.

CAPVT XI. ET VLTIMVM.

Ad Carmeli montis laudem per Apostrophæ peroratio.

AD extremum, vt iam dicendi vela contraham, ad te mons CARMELE, qui cognomen DEI parenti dedisti, ac tam innumerabiles Martyres, Confessores, ac Virgines peperisti, sermone cõuerto. O mons CARMELE monasticę disciplinæ exordium, perfectionis Magisteriũ, ac omnis virtutis fulgentissimum speculum, O mons CARMELE, magni Patris ELIÆ domicilium, vbi austeritatis, & pœnitentiæ, ac cœlestium arcanorum contemplationi assidue deditus, cœnobitico statui primordia dedit; O celebris mons Carmele, in quo in nouissimo tempore Ioannis Baptistæ vox illa clamantis in deserto prodijt: *Pœnitentiam agite, appropinquauit Regnum Cœlorum*; ex tunc enim armorum spiritualium fragor insonuit: ex tunc instrumenta bellica religiosæ militiæ ad victoriam de hostibus comparandam, perstreperere cœperunt, ex tunc fortes in bello facti sunt ad expugnandum, non terram promissionis, sed cœlestem patriam, Christo Domino dicente: *A diebus Ioan. Baptistæ, Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. O mons Carmele, vel eo solum nomine singulari veneratione digne, quod sacello Deiparę Virgini dicato, sacer factus sis, & Marianis fauoribus locupletatus. O tandem sacra Carmelitana Familia: Tu mihi videris alter mons Carmelus, celsitudine sanctitatis, & decore virtutum ei persimilis:

si in

fi in illo auri, & argenti spiritualia mineralia deli-
tescebant, hæc in te non desiderantur, cum celesti-
bus diuinorum charismatum diuitijs, Apostolicis
priuilegijs, ac plenissimis indulgentijs affluas, quas
Carmelitano habitu induti, vel Basilicas eorum vi-
sitantes, vel certè fratres eius protegentes, aut fa-
uore quouis iuuantes, quotidie lucrantur: quod si
mons ille *Carmelus* arborum amœnitate, ac her-
barum suauolentia, degentium in eo animos ob-
lectabat, sanè Carmelitarum Ordo viridarium est
amœnissimum, ager fecundissimus, cum tot sau-
ctitate, & doctrina conspicuos viros, velut fructife-
ras arbores, ac tot fœminas mira virginitatis sua-
ueolentia fragrantés germinarit: quare cum hi
omnes Carmelitane Religionis alumni, Deiparæ
Virgini speciali ratione, se deuouerint, ac eius ob-
sequio, & famularui perpetuo se sacrauerint, rectè
in hanc sacram Religionem conueniunt verba illa:
Isai. 15. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron:*
cum reuera ipsa Virgo præcipuus sit Carmelitane
Familie splendor, honor, & pulchritudo; vnde me-
rito vobis intonare licebit illud, quod olim ad lu-
dith, Virginem adumbrantem dictum fuit; *Judith 25.*
*Gloria Hierusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia po-
puli nostri.* Licebit & dicere, te MARIAM Matrem,
& nutricem diuinitus datam, habere gloriamur:
maternam tuam pietatem in filios exerce, ad te
confugimus, auxilium tuum imploramus, vt sicut
regia munificentia, singulari filiationis tuæ gratia
in terra nos exornasti, ita eiusdem filiationis here-
ditate in Cælo gaudere facias, quam nobis largiri
dignetur, qui cum Patre, & Spiritu sancto
viuit, & regnat in sæcula sæculorum.

AMEN.

Finis Primi Tractatus.